




PIVS PP. X

Universis Christi fidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectus filius Franciscus Vido, Praefectus Generalis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, significat Nobis hoc anno tertium redire saecularem diem a pretioso in conspectu Domini obitu Divi fundatoris Sancti Camilli de Lellis: additque auspiciata ipsa occasione, in omnibus eorundem Clericorum piis domibus sollemnes in triduum supplices preces indictas fuisse. Ut vero ipsae supplicationes uberiori cum spirituali emolumento habeantur, enixas Nobis idem Generalis Praefectus preces humiliter adhibet, ut fidelibus qui illis tribus diebus templa Ministrantium Infirmis celebrent peculiare nonnullas de thesauro Ecclesiae indulgentias benigne largiri dignemur. Nos autem optatis his piis quantum in Domino possumus concedentes, auditis VV: FF: NN: S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, de Omnipotentis Dei misericordia ac RR. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu qui, hoc anno, uno die ad cuiusque eorum libitum eligendo, e tribus designatis pro ipsis supplicationibus honori S. Camilli de Lellis solemniter habendis, admissorum Sacramentali exomologesi expiati atque Angelorum epulis refecti, quamvis ubique terrarum sitam Ecclesiam sive Sacellum proprium Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis fidelibus, corde saltem contritis, quo die supplicationibus enunciatis in quavis e memoratis Ecclesiis vel Cappellis intersint, ibique preces, uti superius diximus, fundant, in forma Ecclesiae consueta de poenali numero septem annos totidemque quadragenas expungimus. Porro largimur fidelibus ipsis, si malint, fas sit plenaria et partialibus his indulgentiis, sanctorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI m. Junii anno MCMXIV Pontificatus

Nostris Undecimo.



J. Cas. M...
a Secretis Status